

circumdata esset. Incolæ, ut aliquo modo (uti insuper dictum fuit a nobis sub anno MCLXIX.) Federicum Imperatorem placarent, nec leonem iratum gravius etiam pertinacia irritarent, Cæsaream novam urbem appellarunt, sperantes iram principis ferocissimi hoc facto lenire. Ob id legatis suis cum mandatis imperiosis Federicus missis, Cæsariensibus imperabat, statim ut se, bonaque sua dederent, admirari autem se, quod se inconsulto ausi fuissent novam urbem moliri, foedusque cum suis perpetuis hostibus Mediolanensibus iniisse, quibus ut notum esse debebat, interdicebatur, ne in posterum mœnia unquam reficerent, ne Civitatem colerent, sed vicatim habitarent, propterea pro comperto habere se, Cæsarienses communitate casse consilia cum illis, qui Alexandro III. Romano Pontifici favebant; ac propterea læsæ majestatis reos esse. Ergo nihil morerentur deditio- nem facere, & ab sua humanitate, & clementia expectarent omnia: si in contumacia perseverent, se & urbem vastaturum, totumque genus ad interitum deleturum, nulla ætatis, nulla sexus habitare ratione. Cæsarem insuper addebant legati esse virum ferocem, multis in præliis versatum, ac rebus gestis, & infinitis victoriis clarum, & cui universa fere Europa pareret. Solum contumaces habere Alexandrum III. Mediolanenses, & Cæsarienses: monere ergo ne ultima expectarent, excidiique sui, suorumque causam præberent. Addebant alia multa, quæ terrorem multitudini incutere possent. Sed Cæsarienses nihil harum rerum timore permoti, breviter legatis Imperialibus responderunt, Non esse quod Federicus tam infenso animo Cæsarienses persequeretur, quod novam urbem ædificassent ejus injussu, se sincero animo id fecisse; deinde ut a Marchionibus Montisferati, & Ticinensium injuriis se defenderent, quibus nihil ullo tempore unquam prius sit, quam se omni injuriarum genere opprimere; quod ipsum satis Federico notum existimabant, se nulla alia de causa urbem novam condidisse, quam ut ea esset propugnaculum adversus irruptiones, & incursiones, quo hac ratione munirent se contra inexhausta Marchionis illius, & Ticinensium odia, qui semper in octo oppidorum damna excubarent. Cæterum se honorem usque ab initio urbis habuisse summo Imperatori, cum summopere studuerint ab eo nomen suæ patriæ accipere, Cæsaream appellantes. Quod attineret ad foedus initum cum Mediolanensibus non negare se id, sed factum esse postquam adventum ejus in Italiam, atque adeo in perniciem Cæsariensium cognoverunt. Cæterum se pro sede Apostolica non recusare, quin mortem appetant; se nihil in hac humana vita splendidius habere, non opes, liberos, non uxores, non cætera, quæ speciem aliquid boni habent, priora habere, quam ut salva sit sedes Apostolica, & sine qua ne esse quidem, aut vivere vellent; quod illa convulsa basis, & fundamentum totius Christianæ Religionis convulsum sit; si pacatis armis urbem Federicus ingredi vellet, se ideo lubentissime permissuros, modo se sedi Apostolicæ, & Mediolanensibus suis fœderatis

reconciliaret, animumque inimicum abjiceret; sin minus magis cordi essent arma, quam pax, veniret, & Cæsaream caperet: se Segusiensium exemplo potius velle pro Republica occumbere, & Apostolica sede, quam ad exemplar vilium, interitumque Hastæ Pompejæ civium, hostem communem sub testa recipere. Quibus auditis Federicus Cæsar statim cum Gulielmo, & Ducibus Ticinensium de ratione urbis nostræ expugnandæ consilia agitavit; cingitur arctius obsidione urbs, nec ullum genus machinæ, nullum genus operis, atque artis ommittitur. Quæ omnia tamen Cæsarienses irrita faciunt; nunc oppugnantes fortiter repellendo, nunc eruptione facta hostes adoriendo, & eos insequendo. Multumque jam intercesserat temporis, ac jam in maximo frigore milites Cæsaris vix perdurare sub dio poterant. Federicus tamen princeps animi imperturbabilis, & laboribus usus, omnibus casibus occurrens, milites solabatur, tentoria, pelles, ac istiusmodi subsidia parari jubebat, & omnibus illis rebus se muniebat, quæ longæ, & obstinatae obsidioni necessaria essent. Interea cernens ipse proprium exercitum per neces in crebris aggressionibus, propter frigus hiememve, pluvias, diuturnas vigilias, & maximas infirmitates quotidie minui, celeriter ex Germania, & a suis fœderatis Italis novas copias ad castra sua conclamat, & evocat.

(1) *Haud credo adeo graviter lapsum auctorem, ut alpium Segusio imminentium nomen ignoraret, atque cum illis, quæ Carnis ac Venetis adstant, confunderet; idcirco tuto est affirmandum scribam hic errasse, & Cottias in Julias alpes convertisse.*

MCLXXV. Prioribus mensibus istius anni propter penuriam magnam annonæ cœpit urbs nostra fame laborare; sed nihilominus strenui cives isti mirabili constantia, atque patientia ejusdem incommoda sustinuerunt, ad sacrificandum parati unanimi consensu substantias, & proprium sanguinem, antequam deditio- nem facerent implacabili eorum hosti, cujus odii, feritatisque præcipue terribiles effectus experti sunt miseri habitatores illi, qui aliquando in egressu a mœnibus, & regressu in urbem, aut in crebris commissis præliis in vim suam infelicitate ceciderunt viventes. Istorum aliquos, ut terrorem in obsessos incuteret Federicus (Monaco Gutifredo in Chronicon ejusdem temporis attestante) ad laquei supplicium absque misericordia damnare solebat, alteros vero ad cœcitatem (1). Scriptor iste etiam ibidem refert, quod una die tres captivi ad conspectum Imperatoris perducti, duo illorum statim lumine orbari jussit, tertium subinde, qui juvenis erat florentis ætatis, ac valde famosus, ipse interrogavit, quare rebellis esset imperio, & contra Cæsarem nulla de causa dimicasset, humillime respondit captivus. Nil Domine usque adhuc contra te egisse, & imperium sentio; sed herum habens in urbe, ei fideliter, & ex corde inserviebam. Quod si ille pro te adversus concives suos assumeret arma pari fidelitate servitutem meam ipsi præstabo; idcirco quamvis me luminibus carentem imponas, attamen juxta vires hero meo excœcatus inserviam. Miratus est Cæsar in hisce verbis animi magnitudinem ejusdem captivi, ideoque ad mansuetudinem